



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

27 Confiteri an teneatur ad consequendam indulgentiam, qui nullum  
habet peccatum mortale.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

decore iustitiæ: si autem manente culpa, remitteretur pœna, esset sublatuſ reatuſ pœnæ, sine decore iustitiæ; quia adhuc remaneret dedecus culpæ, & sic esset aliquid in ordinatum in universo, quod divina sapientia non permittit, *arg. in auct. de hered. & scilicet. §. inordinatum, col. 1.*

Oportet igitur, ut quis esse possit capax indulgentiæ, quod sit purgatus à culpa media contritione, tum, quia membrum mortuum non potest suscipere influentiam ab aliis vivis, S. Thom. 3 par. in addit. q. 27, art. 1. in arg. sed contra; tum demum, quia id in literis indulgentiarum exprimi solet, in quibus dicitur verè pœnitentibus, & confessis, ut idem S. Thom. probat in corpore ejusdem articuli.

26 An autem ¶ sit semper necessaria actualis confessio ad indulgentiam consequendam, omiſſis variis doctorum opinionibus;

Primo respondetur, in iis indulgentiis, quæ per modum Jubilæi concedi solent, in quibus expresse habetur, sacramentalera confessionem intra primam, vel secundam hebdomadam post publicationem, actualiter requiri, indulgentiam, nisi prævia actuali confessione, consequi non posse; quod idem dicendum est in aliis literis, in quibus vel eodem modo, vel æquipollenti alio exprimitur.

Secundo, si indulgentia absolute concedatur sine ulla expressione confessionis, aut clausulæ verè pœnitentibus, & confessis, tunc illis, qui semel in anno fuerunt confessi, & habent propositum confitendi, & contritionem de peccato præterito, non requiritur actualis confessio, sed satis est, esse in gratia; nam sic præsumendum est, esse de mente concedentis, Palud. in 4.

d. 20. q. 4. art. 2. Abb in c. omnis utriusque sexus, de pœnit. & remis. n. 21. Car. in Cle. 1. de reliq. & vener. Sanct. Navar. eod. com. not. 18, n. 11.

Tertio, si sub hac forma indulgentia concedatur, consequuturum esse, qui hoc, aut illud fecerit, indulgentiam omnium peccatorum, de quibus verè fuerit confessus, & contritus, tunc, si pro consequenda indulgentia quis confiteatur, sive non, eorum tamen peccatorum remissionem consequetur, quæ fuerit aliquando integra confessione confessus, Gab. in 4. d. 45, q. 3, art. 3. & Cord. q. 27, de ind. propos. 3. op. 3. & alii per ipsum allegati.

Quarto, cum in forma indulgentiæ concedi dicitur verè pœnitentibus, & confessis, res videtur sanè dubia, & quamvis Paulud sententia, quæ videtur fuisse Doctorum communis, probabilis sit, securius tamen est, & probabilius, requiri confessionem actualem, ut existimant S. Anton. 1 par. tit. 10, c. 3, §. 2, & 5. Ang. in sum. verb. Indulgentia, n. 7. Adria. in q. de indulg. Cajet. in opusc. de indulg. ad Iulium Medicen, c. 10. Navar. loco cit. n. 2. & seq. quod etiam expresse habet gl. in d. extrav. 1. de pœn. & remis.

27 Dubitari enim potest, quando confessio exigitur ad consequendam Indulgentiam, si quis nullam peccatum mortale post ultimam confessionem commiserit, debeat pro illa obrinenda confiteri saltem venialia. Duplex est in hoc sententia, quam aliqui affirmant, alii verò negant. Prima enim tutior est, sed posterior etiam est probabilis, quam sequuntur S. Anton. ubi supra, & Nav. eo. not. 18, n. 18. Sylvestr. verb. Indulgentia, n. 20, & alij: qui tamen doctores conciliari possunt, si distinguendo;

do: aut confessio in literis indulgentiarum exigitur, tanquam dispositio ad earum fructum percipiendum, qua etiam ratione exigitur contritio, aut verò exigitur, tanquam opus, vel pars operis, pro quo indulgentia conceditur. Primo modo exigitur confessio, cum sub illa forma iungitur verè pœnitentibus, & confessis, posteriore autem iungitur in Jubilæis, ubi cum aliis operibus præcipitur, ut intra eandem hebdomadam quis confiteatur.

Quando igitur confessio solùm exigitur, tanquam dispositio, probabilis est, si quis nullius peccati mortalis post præteritam confessionem sit sibi conscius, non esse necessariam, sicut in eod. eventu non exigitur necessariò nova contritio, neque est præsumendum, majorem voluisse Papam exigere dispositionem ad percipiendam indulgentiam, quàm necessaria sit ad Eucharistiam, quæ à quolibet mundo leali culpa sumi potest, Conc. Trid. c. 7. sess. 13. & Graff. decis. aur. cap. 38. nu. 1. par. 1, lib. 2.

At, quando exigitur confessio, tanquam opus, aut pars operis, pro quo indulgentia datur, videtur, quòd quis peccata venialia debeat confiteri, quoniam, si quis non facit opus, pro quo indulgentia conceditur, undecunq̄ proveniat, sive ex infirmitate, sive ex inopia, sive demum ex impotentia, non consequitur indulgentiam, arg. l. cui fundus, ff. de cond. instit. in terminis, gloss. in ead. extravag. 1. in ver. confitebuntur, in princ. & vers. oportet ergo, de pœnit. & remiss. & hæc, quoad interiorem dispositionem.

28 Quò autem ad exteriorem, præter sacramentalem confessionem, quando actus, tanquam opus, pro indulgentia obti-

nenda exigitur, diligenter etiam adimplenda sunt. Cætera omnia opera, quæ in indulgentiarum literis exprimuntur, ut in d. extravaganti 1. §. statuentes. Palud. d. 20. q. 4. col. penult. nec sufficit partem implere, ut quis partem indulgentiæ consequatur, ex communi Doctorum sententia, S. Anton. 1. par. tit. 10. c. 3. §. 4. & Navar. eod. com. de Indulg. & lobel. not. 19. num. 2. & 3. cujus ratio est, quia concessio conditionata nulli valet, nisi expleta conditione, quæ in forma specifica debet adimpleri, l. Mavius, l. qui heredi, ff. de condit. & demonstr. & Nat. conf. 624. nu. 14. volum. 3.

Si quis enim teneatur ex forma indulgentiæ tribus diebus jejunare, vel quatuor ecclesias visitare, aut tribus diebus elemosynam facere, bis jejunando, vel tres ecclesias visitando, aut una die elemosynam pro tribus largiendo, neque indulgentiam, neque partem illius consequetur, neque ab hoc ulla legitima causa excusatur, ex supra deductis, nisi in literis concessionis indulgentiarum aliter disponatur, Navar. in sæpè dicto vocab. 19. à principio usque ad n. 6. & Graff. d. cap. 15. num. 22.

Propterea indulgentia anni Jubilæi, & aliæ conditionatæ de aliquo opere faciendo pro illis consequendis mortuis acquiri non possunt, quia illi saltem ordinaria potestate id, quòd Papa Jubilæum concedens, & in aliis similibus indulgentiis fieri mandat, sine quo illud non quæritur, facere non possunt, ut eadem extravag. 1. §. statuentes, ut qui, & in extravag. unigenitus, §. statuentes de Apostolicæ, & Navar. eod. com. not. 22. n. 1. & nu. 7. Nulla autem indulgentia extenditur ad mor-